

32. Atq; ita vidimus subjectum, ordo nunc postulat, ut nos iam
convertamus ad Transmissionis objectum, quod dicimus solam esse
SUCCESSIONEM, cum omnes LL. que de Transmissione agunt, de
Successione agant. Intellectam vero volo hic & Successionem uni-
versalem, eamq; Legitimam simul ac Testamentariam; & parti-
cularem, propter L. un. §. 5. & 13. Cod. de Cad. toll. L. un. C. de his
qui ante apert. Tab. L. 19. C. de jur. delib. L. 13. C. de hered. Inst.
L. 7. §. 1. ff. de acquir. vel amitt. hered. L. 2. & t. t. C. de hered.
act. L. 81. §. 6. ff. de Legat. i. Ratio cur Transmissio etiam habeat
locum in successione legitima seu ab intestato, hac potest dari solidam
contra Treutlerum dissentientem, ut & Giphan. quia nempe Iden-
titas rationis exigit identitatem dispositionis. Jam vero, eadem ratio
suadet, ut hereditas legitima Transmittatur ad posteros, & ita
Transmissio in Successione ab Intestato obtineat, quae Transmissio-
nem Successionis suadet Testamentaria, ne videlic. ii, quibus debetur
successio ob fortuitas causas vel casus humanos, ea defraudentur d. l.
un. C. de his qui ante apert. Tab. Quin imò Jus SVitatis in Casu In-
testati potentius operatur, quam ex causa Testamenti. E. per conse-
quens Jus quoq; Transmissionis. Uti igitur Successio ex duplice causa
vel ex Testamento, vel ab Intestato ad nos pervenit, ita quoq; ejusdem
prorogatio pari erit censenda jure. Inscriptio & Verba L. un. C.
bis qui, Tabularum mentionem facientes non tam graviter, uti dis-
sentientes sibi imaginantur, obstant, quia Imperatores responderunt
de casu difficiliore & magis dubio, cum praesertim clausula sit genera-
lis, neq; ulla inter species illas hereditatis idonea possit differentia redi-
diratio. Sed Constitutiones correctorias non esse extendendas objicis?
Respondebit pro me tibi Bacchovius.

33. Ut paucis me hinc expediam, sequentes velim notare regulas,
quarum altera Affirmativa, altera Negativa. Illa hac esto: Que-
cung res sive sint Corporales, sive sint Incorporales, consti-
tuunt Objectum Successionis, illae etiam Transmissionis: vel
ut clarius loquar: Quecung jure Successionis transire possunt
ad heredem, illae & ad heredis heredem sunt Transmissibilia.
Ratio est, quia Transmissio nihil aliud est, quam Successio ex persona
heredis defuncti, per quam nihil additur vel detrabitur ipsi successio-
ni, sed saltem Successio extenditur, propagatur, continuatur in Suc-
cessione.